

ERISICHTHONIS
CALLIMACHII ET OVIDIANI
COMPARATIO

P R O L V S I O
O R A T I V N C V L I S

IN
S C H O L A T H O M A N A

A. D. VI. MAII MDCCLVI.

R E C I T A N D I S

P R A E M I S S A

A

R E C T O R E

IO. AVGVSTO ERNESTI

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

it. Graec.

25,8

FRISTGUTHOMIS
CALTIMAGOMI ET QUIDIANI
COMPARTIO

PER OLVIO
ORATVINCVALIS
IN
SCHOLA THOMANA

A. D. V. M. A. I. M. D. C. C. L. V. I. I.
RECTOR A. M. D. I. S.
M. A. I. S. S. A.
A
R. B. C. T. O. R. E.
IO. AVGVSTO ERNESTI

FRISTGUTHOMIS
CALTIMAGOMI ET QUIDIANI
COMPARTIO



In exercitationibus iis, quibus ingenia oratoriam poeticam-
ue laudem adpetentium vel ad inueniendum iudican-
dumque acui, vel ad imitandum conformari debent,
plurimum valet comparatio bonorum auctorum in lo-
cis iis, quibus easdem vel res tractarunt vel sententias
expresserunt. Inventionis enim summa vis haec est, vt in quaque
re, de qua dicendum sit, acute celeriterque videas, quid in ea in-
sit, quod vel ad persuadendum, vel ad ornandum idoneum videat-
ur. Id etsi nonnulli, eximia quadam ingenii vi atque celeritate
praediti, consequuntur sua sponte, nec desiderant imitationis ad-
iumentum et veluti disciplinam: tamen ii et sunt, et fuerunt omni
tempore, perpauci; et his ipsis ad alendam augendamque vim in-
sitam plurimum prodest, iisdem exercitationibus vti, quibus me-
diocritas ingeniorum ad eam facultatem attollitur. Qui ad ve-
nandum exiere, etiam temere incidunt in feras, quas capere velint;
praesertim in silua bonarum ferarum plena: sed tamen optimus
quisque venator cognoscere curat regiones, in quibus venetur,

IV

vbi vagari soleant ferae, et canum sagacitate ad indaganda earum cubilia et sedes utitur. Argumentorum quorundam tantae sunt tamque promptae et paratae diuitiae, ut se ingerant sponte, incurrantque in oculos, quae dici bene possint: sed in iis ipsa copia rerum delectum difficilem reddit, et ambiguum facit iudicium, quid dici quoque loco, quid non, debeat. Aliae autem res et parcius praebent, quae oratorio poeticoque ingenio tractata nitescant, et ita recondita habent illa bona sua, ut oculo bene exercitato opus habeat, qui ea peruidere, et quasi in lucem adspectumque producere velit. Vtraque autem facultas illa et deligendi et videndi atque inueniendi venit cum ab aliis institutis, tum ab ea, quam diximus, comparatione locorum, in quibus eadem res tractata est vel suoapte cuiusvis ingenio, vel cum imitatione quadam alterius. Nam et in illo genere fere diuersitas quaedam existit, ut cum duo artifices periti idem carmen ad modos musicos reuocant: et egregiorum vel oratorum vel poetarum imitatio fere habet aliquam accessionem noui alicuius boni. Quae cum diligenter et saepe considerantur, ingenium deducitur velut in vestigia magnorum in hoc genere virorum, et acuitur ad videndas cuiusque rei opportunitates ad bene ornateque dicendum. Iam quod ad singulas sententias attinet, in quibus magnus ornatus orationis cernitur, incredibile dictu est, quam saepe vna eademque sententia variari et nouari possit: cuius generis innumerabilia exempla obseruari legendis bonis scriptoribus possunt, qui acutiores et venustiores antiquiorum, ut Homeri, ut Pindari, ut Thucydidis, Platonis Demosthenisque sententias certatim imitati sunt, sed ita, ut quacunque ratione nouas et suas facerent; quae vna vera in eo genere imitandi ratio est. Themistoclis dictum, de acroamate optimo, quam multi sunt imitati? Thucydidis autem venustum illud, historiam suam se malle profitentis esse, *κτῆμα ἐς αἰεὶ*, quam *ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα αἰεὶ*, quotusquisque historicus, ut alios taceam, non suo quodam modo expressit? (v. Interpretes Plinii V. ep. 8. et Casaub. ad Sueton. Cal. 53.) Hanc talem sententiarum

rum

rum elegantem in imitando varietatem qui ratione quadam cognitam atque percursam saepe habeat, hoc est, vt, quid quisque noui, et vnde ductum addiderit, intellexerit, non posse non consequi videtur, vt idem, vel in iisdem, vel in aliis efficere possit, magnumque sibi ad bene dicendum adiumentum adiungat. Nam materia sententiarum ipsa plerumque nihil admodum habet aut venustatis, aut subtilitatis, quae cuiusquam captum superet: expositio materiae communis et exornatio acumen iis et suauitatem omnem adiungit.

Sed comparatio sententiarum varie expressarum nihil admodum difficultatis habet: illa superior, ad argumentum aliquod et locum longiorem pertinens, saepe ambigua est atque anceps, cum quaeritur, vter scriptorum melius rem egerit: vnde magna existit iudiciorum dissensio. Quod non est mirum, in tanta ingeniorum opinionumque varietate. Nam ne iisdem quidem homines iisdem rebus semper eodem modo adficiuntur, nedum diuersi. Hymnus extat Callimachi nomine recte inscriptus. Eum Scaliger, pater, pulcerrimum ex vero appellat in Poetice V, 8. Ecce nuper exortus est in Britannia Criticus, graece ille quidem doctissimus, sed e genere ἀποτόμων, Henricus Dawes, qui (Miscellan. Crit. p. 262.) stolidissimum, argumentique futilitate et sermonis modorumque peccatis indignum Callimacho pronunciarat: de quo alius erit locus dicendi. Sed in illo ipso hymno est nobilis locus de Erisichthonis fame, quem Scaliger in eiusdem illius operis Libro quinto, qui totus in comparatione graecorum et latinorum poetarum consumitur, (c. 8.) ita cum Ouidiano eiusdem argumenti in Metamorphosis (VIII, 738. f.) loco comparat, vt ab Ouidio haud paullo superatum Callimachum iudicet, dissentiens, vt ait, a magistris suis, qui Callimachum excursionem quadam, εἰδωλοποιία videlicet Famis, non etiam nitore vinci existimarant. De ea re libuit nobis hoc tempore aliquid ingenii causa disputare, si forte Callimacho etiam hac in re aliquid

A 3

opis

VI

opis ferre, atque efficere possimus, ne, hac quidem parte, imitatori suo primas cedere cogatur. Ea disputatio erit bipartita. Nam primo ipsi comparabimus vtrumque locum sic, vt et communia et propria cuiusque bona commemoremus, deinde Scalligeri iudicium, subiniquum in Callimachum, si possimus, doceamus.

Iam primum communia vterque habet quaedam. In quibus prima est descriptio arboris, in qua religionem luci violauit Erisichthon. Eam Callimachus duobus versiculis coerces, Ouidius per octo versus extendit. Secunda communis est impietas faeuientis in tentantes auertere ab impetu caedendae arboris sacrae; nisi quod apud Callimachum in Sacerdotem faeuit, cuius speciem induerat Ceres, apud Ouidium in seruos: apud illum non vltra verba, apud hunc ad caedem vsque. Tertia est descriptio inexplebilis voracitatis, Erisichthoni Cereris vi iniectae: quae est praecipua fabulae pars, in qua vterque poeta exornanda maxime, vti debuit, elaborauit. Quarta denique species hominis fame confecti et ad vltimam paupertatem redacti.

Propria porro Callimachi sunt haec: Descriptio luci: quam praetermisisse Ouidius videtur, quod alio iam operis loco hac exornatione vsus fuerat: Ceres, primum induta specie sacerdotis, et oratione egregie morata Erisichthonem auocans ab impio facinore, deinde, repetita vera figura, quam magnifico illo versu nihilque cedente nobili illi Homericō Il. γ. 443. expressit poeta

Ἰθμάτα μὲν χέρσω, κεφαλὰ δὲ οἱ ἄψατ' ὀλύμπῳ
Vestigia quidem solo, caput autem fixit coelo

iram poenamque breuitate apta denunciāns: Mater, filii foedam voracitatem occultare tentans, eleganter et ad naturam rei accommodate expressa: Pater, Neptunum inuocans, et, vt in desperatione solent, iram miscens precibus: denique ipse Erisichthon,

in triuiis mendicans cum summa turpitudine: quo loco quam eleganter dixit omnia?

Sed cum diuitem vacuefecisset dentibus domum,

Tum vero regis filius in triuiis sedit

Mendicans frustra panis et coenarum sordidas reliquias

Vtatur enim versione nostra, quam proditurae in Batauis editioni Callimachi nouae destinauimus.

Horum omnium nihil Ouidius. At ea aliis bonis pensare conatus est, aut, si quis malit, pensauit, qui ingenio haud dubie copiosior fuit Callimacho. Primum, quod Callimachus breuiter de arbore primum violata dixit

Ἄ πρῶτα πλαγείσα κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις

Quae prima ic̄ta ferro, triste ceteris carmen resonuit

id ille arreptum, sublimius latiusque tractauit e fabulari ratione, pallore inficiens frondes, glandes et ramos, et largum sanguinem (Nymphae scilicet habitantis arborem) e trunco eliciens, adiecta etiam tauri ante aras caesi comparatione, denique Nympham ipsam loquentem et poenas Erisichthoni denunciante inducens. Ceres deinde, intellecta e Nymphis re, annuit orantibus poenam, qui nutus, vt Iouis apud Homerum Virgiliumque coelum, sic grauidis oneratos messibus agros concutit. Sequitur pulcherrima Famis προσωποποιία, in quo genere inprimis felix fuit Ouidii ingenium, cuius ministerio Ceres vtitur ad vlciscendum Erisichthonem, et imago Erisichthonis, somniantis iam cibum, et per somnum edentis. Quae nisi admirer, nihil viderim. Sed an propterea Ouidius totam fabulam melius tractasse Callimacho dicendus sit cum Scaligero, de eo iam videamus.

Primum

VIII

Primum igitur, ut ab ultimo incipiam, in quo maxime Callimachus ab Ouidio superatus putatur, non puto victum dici quem posse in eo, quod ipse non tentavit, nec tentare aut voluit, aut debuit. Non videntur cogitasse, quicumque hoc loco aduersus Callimachum vsi sunt, quid genus scribendi ferret. Ego quidem mihi persuadeo, si ipse Ouidius eandem rem in tali hymno tractandam sumisset, non vsurum fuisse sublimiori illa ratione, apta illa quidem magnificentiae Epici carminis, aut talis, quale est Metamorphoseon, omnibus poeticis coloribus pictum et variegatum, opus, non hymni mediocritati: cui sufficiebant profecto ista, et ipsa vim Deae mirifice exprimentia

*Exemplo ei difficilem atque saeuam iniecit famem,
Ardentem, validam, vehementique contabescebat morbo.*

Sed cetera ex ordine Scaligerano persequamur.

Nudis rebus ornamenta addidit Ouidius. Callimachus solum κακὸν μέλος ἵαχεν ἄλλαις in arbore: Ouidius autem pallentem fecit, sanguinem fundentem, et loquentem. Audio: sed sanguis saltem ille et sermo Nymphae ex arbore alienus ab hymnicae narrationis simplicitate. *In arboris autem descriptione elegantior Ouidius: copiosior, volebat dicere.* Praeclare amplitudinem hic: *una nemus: fateor: at ille altitudinem non minus bene: αἰθέρι κῦρον, contingens coelum.* Sed et meliore consilio robur esse fecit Ouidius, quam populum Graecus: est enim sterilis, nec quicquam ad Cererem. Idem Annae Fabri videbatur. Quid? si quis contra dicat, quercum non decere Cererem, quae dedocuerit homines vesci glandibus, et, sterilitate per iram immissa, cogat famem solari quercu, ut Maro ait. Sed non hoc vrgemus. Vnde didicit, fertilem modo arborem conuenire Cereri, in cuius luco et ante dixerat poeta fuisse pinus et vltimos, quae omnes pariter luci religione sacrae putandae sunt? sed nimis vulgari vocabuli graeci, αἰγείρα, interpretationi adhaesit vir doctus; quod ut vulgo apud graecos

graecos scriptores de populo dicatur, nihil impedit accipi antiquiori sensu pro arbore siluestri quacunque, praesertim grandiori, quod notatio verbi Grammaticis antiquis tradita fuit, nec prohibent sequentia, (v. 61.) vbi adspectu Diuae exterritos Erisichthonis seruos, ait, reliquisse ferrum ἐν δρυσὶ, in quercubus. Negat porro, a poeta fatis diligenter consitum Cereris lucum. Quomodo? Non conueniunt arbores inter se, quae a poeta memorantur. Quis enim terrarum locus vnus pirum fert cum ulmo et pinu et populo? Hoc quidem est argutari. Ulmum et pinum et populum in eodem loco etiam alii, vt Statius, ponunt, et δένδρεα καρποφόρα καὶ ἄφορα, arbores frugiferas pariter ac steriles, in loco Mercurii reperit Herodotus. Eae si non sponte natae sunt eodem loco, consitae sunt ab hominibus. Nam ἄλση πεφυτευμένα, luci manu consiti multi, vt apud eundem Herodotum (II, 128.) et alibi. Nam quod apud Callimachum nulla inuasio atque impressio est Famis, vt apud Ouidium, ei rei ante satisfecimus. Cum in hymno locum non haberet Famis illa προσωποποιία, nec inuasio eius talis ei conueniebat. Ea autem pensatur alio bono, hoc est, sententia vim Deae egregie exprimente, cui nihil simile in hac fabula Ouidius habet

Strue, inquit Ceres, triclinium, Canis, in quo epulas

Agites: crebrae enim posthaec epulae erunt tibi.

Statim ei iniecit famem etc.

Cui simile illud est, vt id quoque hic addamus, quod Dea apud Callimachum statim sentit, violari lucum, statim praesto est homini, vt impediat, statim punit: cum apud Ouidium rem per Nymphas comperiat, et curru iuncto serpentibus, iter in niuofam Scythiam facere iubeat Nympham, vt Famem e sedibus suis euocatam mittat ad Erisichthonem vlciscendum. Non videtur istud molestiae, primum Nymphae, in itinere faciendo, deinde Cereri, in auxilio ab inuisa sibi Fame petendo, imposuisse, vt Famis personam

B

nam

nam inducere, eiusque εἰδωλοποιία ingenium demonstrare posset?
 Accusatur etiam Callimachus in eo, quod adfectum ipsum (famem)
 ut effingat, tanto laxior ac fusior sit, quanto fuerit in ceteris vel
 parcior, vel castigatior, orsusque ab operis ministrorum

*Viginti epulas parabant, duodecim vinum ministrabant
 pergat particulatim exequi minima quaeque, unde petant famis
 remedia, usque ad feles: quae Ovidium bono iudicio negligere.*
 Enimvero, quia in eo adfectu poena est, eius autem commemo-
 ratio caput est totius narrationis e consilio Callimachi (v. 23.)

Melius est dicere, (ut quis caueat religionem violare)

Quomodo fame Triopae filium miserandum visu reddiderit.

huic maxime immorari, huius descriptionem debebat effingere
 eiusmodi, in qua, quicquid in vltima fame foedum vel est vel
 fit, congestum lectores terreret. In quo rerum humanarum
 non imperitus lector nihil reperiet, quod non, famem subinde
 suafisse vel coegisse homines, veris historiarum monumentis tra-
 datur. Iam illa quidem Callimachi

Posthaec domi abditus assiduus (πανήμερος εἰλαπιναςᾶς) epulator

Comedit infinita omnia: improbus autem venter incitabatur

Semper magis edenti: sed veluti in fundum maris

Frustra sine vi (ἀχάρισα) defluebant cibi omnes.

illa igitur Ovidium esse imitatum, et vi ingenii fecisse, ut essent
 sua. Bene, quod imitatore Callimachi hoc in loco agnoscere
 sustinet Ovidium: quod ingenio sua fecisse ista iudicat, hoc est,
 materiam inde sumtam suo quodam modo, nec minus bene, tra-
 ctasse, et ipsi agnoscimus. Sed si Ovidius hic *habet eam vim*
senten-

sententiarum, quam nemo Graecorum assecutus est, velut illa, in epulis epulas quaerit, accipiunt poscuntque simul, Cibus omnis in illo causa cibi, locus fit inanis edendo: quod genus sententiarum ita frequens est apud Ovidium in fabula Ixionis, Tantali, aliisque, ut prope satietatem adferat legentibus: etiam Callimachus habet, quae Ovidius non attigit. Castigatior Callimachus esse voluit et restrictior. Nec vero aut Ovidius expressit assiduum epulatorem, apte et venuste respondentem Cereris minis, assiduae tibi erunt epulae, aut venusta illa ἀχάρισα εἶδατα, vllus latinus imitando assequatur.

Quod si quis hoc agere velit, ut Callimachium locum Ovidiano praefendum ostendat, profecto habeat, quae non improbabiler in eam partem dici posse videantur. Nam, ut taceat ea, quae ante commemorauimus Callimachi bona, non communia cum Ouidio: primum castigatissimum profecto iure praedicet Callimachum, quae non vltima laus est, prae Ouidii luxurie, felicissima illa quidem, sed luxurie tamen: ne Scaligeri quidem iniquitate hanc laudem ei detrahente, sed diserte concedente. Non falso deinde hoc tribuat Cyrenaeo poetae, ut magnificentius de Dea senserit atque dixerit, qui tribuat sensum rerum omnium ad se pertinentium, speciem dignam Dea, et vim in puniendo praesentissimam. In Ouidio porro si dicat, durum videri, quod e quercus ita annosae et vastae trunco tam copiose, ut e caeso tauro, sanguinem fluxisse, quod seruo, modeste de religione monenti, caput securi vno ictu praecisum ab Erisichthone, hunc autem nec sanguinis, nec vocis ex arbore emissae prodigio motum finxerit, non paucos, ut opinor, adstipulatores habeat. Sed nos hoc modo agere voluimus, ut Scaligerum Callimachi de loco insigni non satis aequum iudicium tulisse, demonstrarem.

Eius autem rei occasionem praebuere Scholae nostrae alumni, qui, sub discessum e disciplina nostra, Oratiunculas de Graecorum,

XII

rum Latinorumque scriptorum comparatione, cum vniuersorum
in quoque genere, tum principum quorundam, recitare institue-
runt, recente adhuc memoria Callimachii loci, ex interpreta-
tione nupera. Eorum nomina subscripsimus

PAVLLVS GOTTLOB ANDREAE,
COLDITIENSIS.

IOH. SIGISMVNDVS HVNDIVS,
WVRCENSIS.

SAMVEL GOTTLOB GRAEFIVS,
TENSTADIENSIS.

IOH. IACOBVS BAVMANNVS,
BEVCHA - MISNICVS.

IOH. GOTTLIEB SOELNERVS,
CYGNEVS.

Ad hos audiendos vt die VI. Maii hora IX. venire velint PA-
TRONI et FAVTORES Scholae Thomanae, iuuentutisque
literarum studiosae, quibus otium est a negotiis, et iuuenum et
nostro nomine etiam atque etiam rogamus.

